



I SEMINARIUM COLLEGII LATINITATIS

ROMA ET HISPANIA: HOMINES ET RES

RELATIO ORATIONVM

PRIMA PARS: 9:00 – 11:00

Alfonsus Álvarez de Mon

“**Corocotta Augustum iacessit**” In *Historia Romana* Dio Cassius mentionem facit de latrone quodam in Hispania nomine Corocotta cui ipse Augustus gratiam fecit. Quamquam pauca de eo scimus, coniectura eum ducem Cantabrum fuisse relatum est et sic vulgo habetur. In commentariis *Palaestra Latina*, saeculo praeterito a societate Claretiana in Hispania editis, fabula brevis quae “Corocotta” inscribitur per capitula apparuit. In ea fabula latro qui primas tenet originem ducit ex illo latrone de quo Dio Cassius scripsit. In acroasi nonnulla dicentur de Corocotta et de controversiis ad eum pertinentibus. Pauca tandem de auctore fabulae Palaestrinae (qui non exstat), et de similitudinibus inter utrumque Corocottam.

Iosephus Sánchez Tarazaga

“**Beati Hispani: quales ii fuerunt, et factis et scriptis?**” Cum res saepe in deterius commutaverint auctores, hac oratiuncula volumus extricare, quantum mores et facta Hispanorum a vero distent. Quemadmodum primum videbimus quid auctores et Antiquitatis et Mediae, quae dicitur, Aetatis de nostris scripserint, deinde aliqua verba in contentionem cum Hispanorum facinoribus adducemus atque brevem conclusionem ostendemus.

Ennecus de Goñi

“**Dominus Ioannes de Austria, novus Marcellus Hispanus**” Anno MDCXXIV poeta Bernardus de Valbuena edidit in lucem carmen epicum cui titulus *Bernardo sive Victoria Roscidae Vallis* est. Carmen insignes heroes describit medii, quod dicitur, aevi Bernardum del Carpio, equitem Legionensem, atque celeberrimum Orlandum, legatum Caroli Magni imperatoris Francorum, ab eodem Bernardo in singulari proelio et victum et mortuum. In versibus huius poematis reperimus auctorem saepe poetas Latinos Graecosque aemulari. Exempli gratia cum formosa nympha, nomine Iberia, lectoribus narrat fabulam futuram Hispanorum heroum inter quos exstat Ioannes de Austria, in proelio Lepantico victor. Valbuena ducem Hispanum facit similem illi, non minus illustri, Marcello quem cecinit Vergilius in libro Aeneidos sexto.



COLLEGIUM LATINITATIS

www.collegiumlatinitatis.com

collegiumlatinitatis@gmail.com

facebook.com/clatinitatis – @clatinitatis

Paula Pellicer

“Signa patriae: ars faciendi, fruges, locus amoenus” Nonnulla numerantur carmina Martialis quae satis nobis signa originis poetae ex Hispania patefaciunt, inter quae excellunt praesertim ars faciendi, fruges atque locus amoenus.

Xaverius Carqués

“Et Hispania Romae dominatur” Quomodo homines et res Romanae mores atque vitas hominum aliarum nationum mutaverint, haud paucis in libris symbolisque tractatur, at minime saepe neque tam facile inveniuntur permutationes quas ipse populus Romanus passus est post tan multarum nationum dominatum. Hac in oratiuncula ostendentur nonnulli homines et res quae paululum vel multum sive Romam ipsam sive res Romanas mutaverunt.

INTERCAPEDO: 11:00 – 11:30

SECUNDA PARS: 11:30 – 13:00

Ansgarius Ramos

“De Legione urbe eiusque Romanis radicibus: quot earum et qualia nunc temporis prostent vestigia et serventur” Legionem oppidum cum radices egisse Romanas constet, nihil mirum si haud pauca, quae lustrari nunc temporis necnon inspicere possint, asservet vestigia eademque varia per urbis loca angulosve sparsa distributaque. Illud enim hac de re attendendum est, inter primum a. Ch. n. exiens et primum Christianae aetatis iniens saeculum duas Romanas fuisse legiones in castris hoc loco positas quae commoratae sunt versataeque, unde decursu temporis, imperio periclitanti Romanorum, et migrata in Germaniam legio illa VII desertisque eius castris, oppidum Legio eo modo originem duxit suam, quin Romanis vestigiis testimoniisque multis orbatum esset. Quod Romanum iter monstrabitur in hac oratiuncula e longinquo prolata.

Aloisia Aguilar

“Ad motus fortunae se movere: de criminibus Varronis in Hispania apud Caesarem in commentariis de bello civili 2 17-20” In Marcum Terentium Varronem, quem egregia temperantia virum plerique in litteras retulerunt, invectus est Caesar vehementer postquam



COLLEGIUM LATINITATIS

www.collegiumlatinitatis.com

collegiumlatinitatis@gmail.com

facebook.com/clatinitatis – @clatinitatis

partes Pompeii in proeliis Hispanicis ille ageret. Quae enim sint ex verbis Caesaris explorata, quae vero studio eius subiici debeant, nobis in animo est attingere.

Kevin Prell

“Virtutes et vitia principis in tragoediis Senecae” Seneca et philosophus et auctor tragoediarum Hispanus fuit. Valde de virtutibus et vitiis principis in operibus tragicis meditatus est, quas cogitationes Senecae est nobis in animo auditoribus monstrare, locos selectos ex tragoediis eius attingentes.

INTERCAPEDO: 13:00 – 13:15

TERTIA PARS: 13:15 – 14:00

Michael Angelus Athanasius

“Aelius Antonius Nebrissensis scriptor Annalium” Elio Antonio Martínez de Cala y Xaraba, notabilior sub nomine Aelii Antonii Nebrissensis, cum grammaticae praecipuam operam dederit in vita, tamen anno 1509 annalium scriptor creatus est atque de bello Navariensi et de rebus a Fernando et Elisabeth Hispaniarum regibus gestis conscripsit quas in libros reducit nomine «Rerum a Fernando et Elisabeth Hispaniarum felicissimis Regibus gestarum Decades duae». Ex quo opere parvum vitae Enrici locum selegimus, quem in animo est primum una legere huiusque partes obscuriores enodare, deinde indolem scriptoris breviter adumbrare.

Raycus García

“Dum Romae consulitur, Saguntum expugnatur” Saguntum oppidum Hiberum opportunissimum optatissimumque Carthaginensibus fuit in bello Punico secundo. Qua ex re magnopere id Hannibal sui que obsederunt donec omnino id expugnaverunt. Romani autem menses complures consulebantur neque magni aestimabant exercitum suppetias mittere. Livius narrat quomodo dirimerentur res quique victores fuerint.